

pleraque omnia privatim administrabantur : Patres veriti brevi fore, ut omnis Italiae continentis pars, quam tene-
rent ipsi, a republica deficeret : ad urbem tuendam, & commeatibus classibusque muniendam animum adjecerunt. Confirmavit hoc eorum consilium cum Brixianorum civi-
tas, quæ copias reipublicæ intra oppidum recipere nolu-
erat, quod diceret nolle se ab exercitibus conteri, satis sibi ipsos præsidio futuros : tum quod intelligebant classem a Ferdinando rege in Sicilia Calabrisque esse compara-
tam, qua ab classe frumenti ad urbem convectiones facile prohiberi posse videbant, nisi respublica majores ad resi-
stendum opes objecisset. itaque latum, ut classi supple-
mentum adderetur, ut essent omnes ad triremes quinquaginta. Ab annonæ quoque magistratu edicta sunt propo-
sita, quibus frumenta facilius omnibus a locis ad urbem comportarentur. literæque ad Cyprios datæ, ut quantum maximum possent, frumenti numerum navibus impone-
rent : navesque perplures ad eos missæ, ne navigiorum in-
digentia convectiones tardarentur : imperatumque, ut quæ ab insula naves sale onustæ jam solvissent, ubicunque es-
sent, ejus salis jacturam facerent, & in Cyprum reverteren-
tur, frumentoque complerentur. Missæ etiam in Epirum cum mercatoribus, pretiaque iis, qui adduxissent, ampliora le-
ge facta. Latum etiam, ut quæ leges prohiberent, ne ad-
venarum navibus frumenta reliquique commeatus Venetias afferrentur, quo civium naves majora lucra facerent, eæ leges abrogarentur, dum de bello decernatur, liceretque quibus-
cunque hominibus suis cum navibus commeatum causa ad urbem sine anchorario accedere. Iisdem diebus Ferdinandi legatus Patribus exposuit, regis se literis in Hispaniam re-
vocari : qua de re coacto Senatu lex est lata avertendi ab inferendo reipublicæ bello ejus regis causa, ut legato Lau-
redanus Princeps diceret, Senatui placere, quæ haberet in Apulia respublica oppida, regi oblatum iri : Patres missuros, qui ea, cum volet rex, ejus ministris tradat. His cum mandatis legatus postero die abiit. Alfonsi et-
iam legatus salutatis Patribus domum rediit.

His